

de quo solvit sex grossos Walpurgis et totidem Michaelis. In quorum omnium evidens testimonium praesentes nostras litteras scribi fecimus et ex certa scientia nostri sigilli maioris appensione communiri. Datum et actum in castro nostro episcopali Stolpen sub anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo secundo, die vice-sima mensis Decembris, praesentibus honorabilibus dominis Lamperto Wacker, officiali curiae nostrae episcopalis, Nicolao Czigeler canonico ecclesiae nostrae Misnensis et Martino Kiliani viceplebano in Jokrim, atque strennuis armigeris Theodrico Limpach capitaneo castris nostri praedicti, Johanne Lawenwalt marschalko nostro, Gunthero de Hugewicz in Harta residente, Sifrido Lyst, Johanne Gotskoch et Petro Spiser, et aliis pluribus familiaribus nostris fide dignis ad praemissa.

Et nos Johannes decanus, Ramfoldus de Polenczk senior, Johannes de Polenczk scolasticus, Andreas Grawe cantor, Caspar de Schonenberg, magister Nicolaus de Gubin archidiaconus Nisicensis et Nicolaus Czigeler canonici totumque capitulum ecclesiae Misnensis — — publice profitemur, quod ad praedictas collationem — annexionem et renunciationem — nostrum — adhibuimus consensum, et — in huiusmodi nostri consensus testimonium sigillum maius nostri capituli similiter duximus praesentibus appendendum. Datum ut supra.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 768. 1403. 7. Febr.

*P. Bonifacius IX. ertheilt denen, welche bussfertig den Sonntags, Donn. und Sonnabends an dem neugestifteten Altare im hohen Chore der Domkirche (No. 756) zu haltenden Messen beiwohnen, 2 Jahre und 80 Tage Ablass.*

Bonifacius episcopus — universis Christi fidelibus etc. Quanto frequentius etc. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius, nobilis vir Wilhelmus marchio Misnensis zelo devotionis accensus, in choro ecclesiae Misnensis quoddam altare, super quo ut frequentius perpetuis futuris temporibus singulis dominicis de sancta trinitate et Jovis de corpore domini nostri Jesu Christi ac sabbati diebus de beata Maria virgine missae celebrari et ad notam decantari debeant, fundari et conservari fecerit, illudque de bonis suis a deo sibi collatis pro huiusmodi missis celebrandis et decantandis sufficienter dotaverit ac etiam ordinaverit: nos ipsius marchionis devotionem plurimum in domino commendantes et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis tempore celebrationum et decantationum missarum huiusmodi ad ecclesiam confluant antedictam, quo ex hoc ibidem dono celestis gratiae uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius autoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui celebrationibus et decantationibus huiusmodi missarum quotiens aliquam ex iis celebrari et decantari contigerit, ut praefertur, devote interfuerint, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem quod si alias visitantibus altare praedictum vel ad eius conservationem manus porrigentibus adiutrices, vel alias ibi pias elemosynas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum